

1541
Pauli Pontificis spes
de Insubribus pro
Octavio nepote adipiscendis.
Veneti legati
Caesarem in Reipublicae fines recipiunt.

Pauli &
Caesaris conventus
Lucæ habitus.

Caesar ad
Algerium cum classe
appulit.
Caesareani
imbribus &
tempestate
jactati.

Caesaris in
Hispaniam
reditus.

re, ut Insubres Octavio Farnesio nepoti, donec certis conditionibus Reges paciscerentur, pensione constituta, traderentur; qua in re Venetorum sibi auxilium, atque opem pollicebatur. Caesari Tridentinis in Alpibus Octavius Farnesius gener cum insigni comitatu obvius fuit. Legationem Senatus decrevit, legati quatuor designati, Joannes Antonius Venerius, Nicolaus Theupolus, Marcus Antonius Contarenus, Vincentius Grimanus divi Marci procurator: ad Veronensium fines summis honoribus venientem excepere; gratuitos commeatus, ac munera Senatus nomine praebuere; biduum per Venetas ditio- nes comitati. Nam a Pischeria, Reipublicae oppido, Mantua- norum fines ingressus, Mediolanum, inde Genuam contendit; mox Lucæ Pontificem sextili mense convenit. Ibi aliquantisper commoratus, Moninii Regis legati de Rincone, & Fulgoso interfectis querelas audivit; ac licet, omni spe cum Gallo pacis abjecta, nullis neque rationibus, neque precibus, ne in Africam trajiceret, adduci potuit.

Itaque in annum sequentem Concilio rejecto, cum Italicis cohortibus, ac sex Germanorum millibus, quibus per Reipublicae fines transeundi a Senatu facultas permessa fuerat, in onerarias naves distributis, cum trigintaquinque triremibus e portu Lunensi solvit. Ubi in Africam ventum est; e navi milites in litus exponit: omnia ad urbem oppugnandam egregie instruit; dum tormenta expectantur, repente imber tota nocte in exercitum effusus, severissima tempestate classis mire jactata est: Mauri equites, ac Turcae magno impetu in Caesareanos irruunt; novae atque insuetae militiae genere opera disturbant; denuo immanissima procella oborta, cum in anchoris naves ventorum vi consistere non possent, complures collisae, & confractae demerguntur; aliae ad litora impactae periire. Caesar cum tot difficultatibus premeretur, multis navigiis amissis, classe quassata, ab Africae litoribus in Hispaniam regredi compulsus est; magni animi, atque imperterriti laudem consequutus, quod tot undique periculis septus, adversae, ac minantis fortunae faciem non exhorruerit, sed vultus æquabilitate, & constantia infracti pectoris robur praestulerit. Insignes in ea expeditione viri complures, gravitate caeli, atque aliis confecti incommodis, obiere, quos infausta militia, aut rerum novarum vi- fendi